

Dissertatio medica inauguralis, de hydrocephalo / [Edward W. Duffin].

Contributors

Duffin, Edward W. (Edward Wilson), 1800-1874.

Publication/Creation

Edinburgh : P. Neill, 1821.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/bybk4399>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

7

10

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS

DE
HYDROCEPHALO;

QUAM,

AVGVSTO SUMMO HOMINE,

AC ADHUC VIVENTE AVGVSTO ADORANDO VICE

D. GEORGH BARD, SS. T. P.

ACADEMIAE EDINBVRGENSIS PRÆFECTI

DISSERTATIO MEDICA

AVGVSTO SENATO ACADEMICO AVGVSTO, ET

AVGVSTO SENATO ACADEMICO EDINBVRGENSI

INAUGURALIS

PRO GRADU DOCTORIS,

DE

HYDROCEPHALO.

EDVARDVS W. DUFFIN,

EDINBVRGÆ,

MDCCCXXXIII.

CALENDIS AVGVSTI, HORA TERTIAE HÆLITICÆ

AVGVSTO

EDINBVRGÆ

AVGVSTO SENATO ACADEMICO EDINBVRGENSI

AVGVSTO SENATO ACADEMICO EDINBVRGENSI

HYDROCEPHALUS

D. GEORGE J. J. J.

DISSERTATIO MEDICA


INAUGURALIS

PRO GRADU DOCTORIS

DE

HYDROCEPHALO.

IN ARDIBUS O. J. J.



PRINTED BY

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
HYDROCEPHALO;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

EDVARDUS W. DUFFIN,

CHIRURGUS,

SOC. REG. MED. EDIN. SOCIUS.

et nisi succurritur, celeriter jugulat.

Celsus, lib. iii. cap. xx.

CALENDIS AUGUSTI, HORA LOCOQUE SOLITIS.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT P. NEILL.

MDCCCXXI.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS

DE

HYDROCEPHALUS;

QUAM

AVVENTE SUMMO NOMINE

ET AUCTORITATE REVERENDI ACADEMICI VIRI

D. GEORGII BAIRD, S.S.T.P.

ACADEMIE EDINBURGENSIS PRAESENTAT;

NECNON

INSTITUTI SENATUS ACADEMICI COMITIBUS ET

MEMBRIS FACULTATIS MEDICAE EDINBURGENSIS

JOSEPHUS BAIRD, DOCTOR

PHYSICUS ET CHIRURGUS



EDVARDUS WELLS

CHIRURGUS

1850. REC. EXP. BOIN. 100/12.

et cum facultate, edentes, etc.

CALENDIS AUGUSTI, HORA FOCORUM SOLITIS

EDINBURGI

EXCURSAT P. BAIRD

MDCCCLXII

101 GULIELMO W. DUFFIN

ARMIGERO,

EDVARDUS W. DUFFIN

S. D.

Dilectissime, tibi, Patruæ, præstanti benignitate, Viro, urbanitate suavissima limato, et quocunque alio laudabili, exornato; homo, quo nemo vel meliora de me, vel plura meruit, sacras, volo, hasce studiorum primitias. Summa in me et immerita beneficia cumulasti; orbatoque Patre, fuisti Pater. Profundissime talium memor, quæ neque ipsa abolevit ætas, neque ipsum solvit ævum, hoc opusculum, indignum eheu! et exiguum,

Animi, quæso, gratissimi

Testimonium

accipias.

GUILLELMO W. DUFFIN

ARRIGERO

EDYARDUS W. DUFFIN

Dilectissime tibi Pater, persistenti benignitate tuo, urbanitate constanti summo, et quocumque alio laudabili, exornato; homo, quo nemo vel melior de me, vel plus meruit, auctus, solo, haecce studiorum primordia. Summa in me et in vestra beneficia cumulasti; oratorum Patris, isti Pater. Prophanissime talibus meritis, que necque ipsi abolevit atque, neque ipsam solent, erant, hoc operatum, in- dignum esse! et exiguum.

Amici, quibus gratissimum

Testamentum

recipias

JOHANNI HENRICO WISHART

DISSERTATIO MEDICA

ARMIGERO.

INAUGURALIS

Virtute, Viro, publica æque ac privata amabili, cujus sub auspiciis, quam maxime divinam nostram, teque ab ipso tam feliciter excultam, inscium me, ad artem accinxi primus, cujus concilio firmatus incubui, cujus ope hucusque progressus. Talis, tantique haud immemorem beneficii, vix quale alii alius donat,

Gratus et animus

Lubensque ratio

Tibi ad dicandum

jubent

E. W. D.

summos medicos honores ambitur, ideoque
aliquid ad artem pollicentem attingens conscrip-
turus, hanc rem, ipsius momento, insigri ad-

DISSERTATIO MEDICA

nitidius dignissima profectum. Hoc genus vale-

studium advertebat. Quamquam medicos

latant: aiguis enim percutibus demumctum, et

tere semper lato natum, corvanden acer-

tinum studium non sibi abdicere, vix potuit:

HYDROCEPHALO.

rapue ad hodiernam, quam plurimam ingenio clar-

reipue medicos amplificandas studiosos operam hinc

collocaverunt. Quamvis autem profectus quis

ignorat? periculis nostrum, hanc, nostrum

PRÆFANDA.

omn. ita se habent, causas et naturam eius

SCRIBENDI cupidi, aut novi spe exquirendi, aut
jam explorata luce nova illustrandi, incitari so-
lent. Qui vero argumentum jam sæpius tenta-
tum aggreditur, alios inscitiae arguere, seque
scrutatorem feliciorem exhibere, facile videtur.

Non autem tanta impulsus fiducia, quædam
de malo isto gravissimo, apud medicos *Hydro-*
cephalus nominato, literis mandare statui; at

summos medicinæ honores ambiturus, ideoque aliquid ad artem Apollinarem attinens conscrip-
turus, hanc rem, ipsius momento insigni ad-
ductus, cæteris præposui; de qua utilissima cog-
nituque dignissima proferrem. Hoc genus vale-
tudinis adversæ nusquam et nunquam medicos
latuit: signis enim terrentibus denunciatum, et
fere semper fato maturo finitum, eorundem acer-
rimum studium non sibi adsciscere vix potuit:
quo factum est, ut a temporibus antiquissimis
usque ad hodierna, quam plurimi ingenio clari,
reique medicæ amplificandæ studiosi, operam huic
collocaverint. Quantulo autem profectu quis
ignorat? peritissimi nimirum hunc morbum
nulli fere medicabilem arti, fateri coguntur. Quæ
cum ita se habeant, causas et naturam ejus
hucusque magna ex parte latitare, curandique
rationem idoneam desiderari suspicatus, animum,
scripturus, ad hæc adverti; haud sane tanti me-
nodi expediendi capacem professus, sed aliena
et feliciora ingenia ejusdem admonendi cupidus.
Eoque potius malum propositum selegi, quod
inter medicinam faciendam, nonnullos eodem
plexos novisse mihi contigit.

Hydrocephalum auctores duplicis generis proposuerunt; *internum* scilicet et *externum*. Illud latice præter naturam cerebri atria, sive ventriculos, implente; hunc vero eodem membranis interjecto, contineri voluerunt; quos opinio inanis fefellisse videtur; siquidem, patefactis mortuorum corporibus, ingens humoris copia utriusque harum sedium sæpenumero subesse apparuit.

Missa autem de hac re controversia inutili, nosse juvat, id mali genus, quod *Hydrocephalus internus* apud plures vocatur, jam iniens febriculam et inflammationis notas sibi præferre, præcipitique pede in mortem abire; ideoque *Hydrocephalum acutum* rectius nominari: alterum vero genus diutinum, lentum, febrisque et incitationis pene expers, haud perperam *Hydrocephalum chronicum* vocari. De utroque acturus, ex *acuto* longe crebriori, et ni fallor, indagatu digniori, incipiam.

QUÆDAM DE HYDROCEPHALI ACUTI, NO-
MINE ET DEFINITIONE.

Hydrocephalus acutus alia atque alia accepit nomina, prout quisque de ejus natura, sede, causave continente judicaverit. Præter istas voces adjectas, *acutus* et *internus*; alii *Hydrocephalum phreniticum*, CULLENUS *Apoplexiam hydrocephalicam*, vocare maluerunt. Culleniano nomini illud objiciendum, hanc valetudinem ineuntem notas cerebri inflammati, certe ad inflammationem spectantis, ostendere. Quo perspecto, eandem *Apoplexiam phreniticam*, vel *Phrenitidem hydrocephalicam*, rectius appellari conjicio. Si apte *Phrenitis hydrocephalica* dicitur, constat classem Cullenianum “Pyrexiaë,” ordinemque “Phlegmasiaë,” eam acceptura. Nomen illud, *Phrenitis infantilis*, quibusdam placere accepi: hoc, causam ob duplicem, ablegandum opinor; nimirum, quod interdum adolescentes hoc malo ægrotarunt; porro quod ætas iniens minime sola est causa ejus moderatrix. Si verum sit morbos, notis

eorum perpetuis et insignibus propositis, atque prætermisissis adventitiis et levioribus, rite definiri, mancam esse Cullenianam definitionem facile patebit; quippe quæ signis nonnullis hujus mali jam ad fatum properantis vacat. Re altius perpensa, sic definire ausus sum. “ Infantes et impuberes paulatim adoriens; primo, oculis lucis impatientibus pulsuque arteriarum duro et citiori: dein pupillis dilatatis, et pulsu tardiori, tandem artubus convulsis, pulsu citissimo, altoque stupore.”

Scire licet cursum *Hydrocephali acuti* tria sibi spatia præferre; e quibus, *primum*, cerebri inflammati, vel incitati; *secundum*, ejusdem leviter oppressi; *tertium* vero, compressionem vehementem passi; notis, denunciantur.

DE HYDROCEPHALI ACUTI SIGNIS.

DE SPATIO PRIMO.—Paulo ante accessionem hujus diræ valetudinis, animus et corpus languere incipiunt; mentem æquo irritabiliorem omnium fere circumjectorum, vitæque ipsius tædet. Vires

simul cibi concoctrices labuntur; quos æger parum appetit, nec raro sumptos evomit: quod signum inter initia ipsa notare licet. Paucis diebus vel hebdomadis exactis, æger febrile, præter naturam calere, vultusque rubescere, cœperunt: hæ notæ die advesperascente maxime sæviunt. Nunc demum caput vehementer dolet: sæpissime circa frontem; modo apud verticem: alias dolor alterutri ejus laterum insidet, utrumcunque doleat latus, illorsum caput inclinatur. Vultus nunc saturiori rubore floret: oculos irritabiliores lux, auresque sonus, offendunt: *pupillæ* plus quam fert natura, lumine illato, coarctantur: aures sonant. Noctu æger vigilat, somnove brevi, nec recreaturo potitur: siquidem inter dormiendum artus jactat, nares digitis carpit, dentibus frendet, aut somniis terrentibus de repente excitatur.

Præter hæc, quasi miserrimus crebro ejulat, et interdum delirat. Arteriæ inter hæc dure, citius quam ex consuetudine, non autem valide micant, fere centies et vicies quaque sexagesima horæ parte. Respiratio solito incitator, nec citra laborem. Fauces et lingua perarescunt,

hæc simul sorde fœdatur; quo fit ut sitis cruciet. Vomitus nihilo levior exercet, qui sane atque capitis dolor vicissim urgere observantur.

Tormina sæpe angunt, qualia vermibus intestino inhærentibus nasci consuerunt. Alvus tardissima oleosum, fœtidum, atrum aut viride, parceque et raro, excernit, vix medicamentis cienda. Urina redditur parum rufaque. Sanguis nunc vena incisa, missus tunicam istam corio similem modo sibi præfert. Longe sæpius cutis summa aret; quod si madeat, sanguinisve paululum e naribus stillet (quæ notæ, aliis quibusdam morbis urgentibus spem insignire solent) æger tamen nequaquam exinde expeditur. Signa jam relata quæ stadium primum complectitur, tempus incertum manent: perraro autem minus sex ampliusve viginti dies trahunt.

DE SPATIO SECUNDO.—Tandem incitatio jam descripta torpore mutatur. Æger soporari cœpit; adeo ut præ teneris annis, sensumque obrutum, voce ærumnas significare nequeat. *Pupillæ* nunc immotæ, luce illata patescunt; et sæpe imago duplex cujusvis rei oculis objectæ mentem fallit. Stertit infelix graviterque spirat; motus

arteriarum fiunt tardiores, inæquales atque imbecilli, fere circiter LXX vel LXXX quaque LX^{ma} horæ parte; GREGORIO sane testante, semel non amplius XVIII. Adhuc cibi fastidiuntur et vomuntur: etsi haud celandum, vomitum, hoc spatio secundo jam ad finem spectante, interdum quiescere: imo vero ægrum tunc modo voracem fieri.

Alvus tarda et pertinax raro descendit, nonnunquam etiam vermes dejiciuntur. Aliquando inter hæc, stupor tantus obrepit, ut æger vix aut ne vix quidem incitamenti suscitari possit. Duos, tres, quatuorve dies hæc signa perseverant.

DE SPATIO TERTIO.—Tandem omnia in præceps ruunt. Æger eo usque soporatur, ut nulli fere incitamento pareat; atque omnino videre, audire, sentire, intelligere nequeat. Vox faucibus hæret; vorandi facultas deletur; arteriæ languidissime, creberrime, nec vero inæqualiter, saliunt, sic equidem ut quoties, intra partem horæ LX^{am} se attollant et submittant, vix medico per digitum impositum, statuere liceat; haud raro centies et quinquagies, interdum ducenties micuerunt. *Pupillæ* immotæ patescunt:

quod idem subinde de oculis ipsis notandum, vel ægro jam dormiente eo quod fibræ palpebrarum *orbiculares* solvuntur. Fieri solet, ut unum corporis latus resolvatur, alterum vehementer convellatur. Spiritus trahitur et emittitur ægerrime, vires concidunt. Summa cutis friget et humet; alvus, quæ ante hac pertinax raro descenderat, nunc, animi injussu, fusa esse cœpit; urina simul, citra mentis imperium, effluit. Demum, contrito robore, membrisve omnibus convulsis, infelix absumitur.

Etiam si multo frequentius *Hydrocephalus acutus* speciem sibi jam descriptam induit, haud tamen celare oportet plures causas, veluti corporis proprietates, ætatis, vitæ et victus rationem, et quo sunt hujusmodi, eum haud parum mutare et moderari. Quanquam plerosque nervorum distentiones prius vellere cœperunt quam ad ultima sit ventum, haud tamen desunt, quos morbo jam ineunte, torquent. Neque perpetuum est ut vomitus plectat; quo nonnulli, pauci sane, prorsus vacarunt.

Quinetiam contigit quibusdam medicis *Hydrocephalo acuto* tentatos curare, quibus arteriæ

a principio ad fatum usque citissime motæ sunt ; alii earundem motum initio concitatum, dein lentiozem, non autem citissimum paulo ante mortem notarunt.

Satis patet ex jam propositis, hoc malum diutinum non esse. Sæpissime vigesimo circiter die, modo citius modo serius, morte finitur.

QUÆ, PATEFACTIS CADAVERIBUS, INTROSPICIANTUR.

PATEFACTIS absumptorum corporibus, multa secus atque fert natura reperiri solent ; neque tamen silendum, subinde at raro, nihil insoliti, præter cerebri vasa ultra consuetudinem distenta, patuisse. Pluribus eorum qui perierunt, cerebri atria latice redundare consuerunt. Hujus copia aliis alia est ; ita equidem ut raro minus unam, aut amplius octo uncias, introspicere liceat. Hic humor *hydropico* aliquanto tenuior, pene *albuminis* expers est. Frequentissime omnia cava cerebri eodem humectantur ; interdum quædam solummodo eorum. Aliquando, paux-

illum lymphæ cerebri membranæ extimæ subjectæ invenitur. Quinetiam subinde membranæ cerebri præter naturam cohæserunt, crassiores autem, ob *fibrinam* secretam. Arteriæ venæque ejusdem, præsertim apud partes exteriores et *plexum choroideum*, fere turgent. Modo cerebrum fabricam æquo sibi molliorem prætulit. Persæpe etiam tubercula, *scrophula*, ut videtur oriunda, speciei multiplicis, modo dura, alias mollia, pureve referta, idem obsederunt.

Præter hæc longe plures ex *hydrocephalicis struma* inquinari, docent glandes cervicis *conglobatæ*, et frequenter *mesentericæ* tumefactæ, venter durior et grandior, aliaque eodem spectantia notanda.

DE CAUSIS HYDROCEPHALI ACUTI.

CAUSÆ morborum triplicis esse generis videntur. *Abditæ* sunt, causæ istæ interiores, id est corpori, fere natura infixæ, quæ hominem ad morbos subeundos proclivem reddant, nec vero per se moveri possint. *Evidentes* sunt, quæ,

proclivitate existente, adnotæ morbos excitent: quæque longe sæpius extra corpus ipsum positæ sunt. *Continentes*, quæ sublatae morbos tollant, mutatae mutant: unicam vero causam continentem, cuique morbo contingere necesse est. De harum singulis, quod ad morbum propositum, paucis disputabo.

DE CAUSIS ABDITIS.—Tenelli et impuberes præ adultis hoc morbo conflictantur: quo fit ut ætas iniens et pueritia inter causas abditas habendæ sint. Huc vero operam conferunt, eo quod capitis arteriæ motu incitatori salient, ipsum pro rata parte amplius est, ejusque paries laxior, ætati teneræ quam provectori. Usu porro docemur corpora *struma* infecta, delicatiora mobilia *temperamentoque* sanguineo prædita, *Hydrocephalo acuto* aptissima esse; quod cum ita se habeat, non admirandum eundem, quasi hæreditate modo, a parentibus ad natos transferri. Ne multa igitur, causæ abditæ jam dictæ non solum corpora ad morbum propositum inclinant, vel propensa reddunt, verum etiam naturam et speciem ejus eo usque moderantur, ut ipsissimæ causæ excitantes, quæ hisce abditis ad-

jectæ *Hydrocephalum acutum* moliuntur, citra easdem admotæ, morbi genus ei omnino dissimile gignerent.

DE CAUSIS EVIDENTIBUS.—Quicquid, citra causas abditas, id est cuivis adulto, valido et *strumæ* integro, phrenitidi ciendæ est habile, iisdem præsentibus, hunc morbum excitabit. Hujusmodi sunt caput ictu lapsuve violatum, frigus, calor, victus plus æquo opimus neque concoctu facilis; alvus pigrior quam fert natura; acria intestino inhærentia; cutis summa derepente ex *Rubeola*, *Scarlatina*, *Variola*, aut *Tinea* deflorescens; præter alias noxas, quæ sanguinem præter modum ad cerebrum impellant. Verisimile est tubercula, de quibus dixi, modo hunc morbum, propria irritandi facultate, excitasse; eoque potius inducor, qui ita sentiam, quod sæpenumero, unde natus fuerit, pene latet.

DE CAUSA CONTINENTE.—Fere omnia quæ, capite mortui patefacto, prodeunt, inflammationem cerebri ejusve membranarum, propriam, antecessisse testantur. • Huc nimirum plane attinent mem-

branæ sæpe crassiores *fibrinæ* obductæ, vel præter naturam cohærentes; tubercula pure repleta subinde reperta. Neque statuere dubitabo, laticem insolitum, qui cerebri cava et membranas humectat, necnon vasa ejus tumefacta, eodem esse referenda: siquidem notæ plures ineuntis *Hydrocephali acuti*, quales sunt febricula, vultus rubicundus, *pupillæ* justo arctiores, lucis oculi, aures soni parum tolerantés, motus arteriarum concitati et duri, aliorsum referri nequeunt. Quod si aliquis objiciat, hoc malum *phrenitidi* longe distare, respondeo ætatem teneram, corpusque *struma* inquinatum et imbecillum, efficere ut hæc inflammatio propria, minus acuta; (lenta enim, vel *chronica*, est omnis inflammatio imbecillum aggressa, cuicumque sedi incumbat). Uti igitur paucis absolvam, causa continens est, “Inflammatio cerebri lenta atque moderatricibus indole et infantia strumosa, sui similis, in laticis profusionem fere desitura.”

DE SIGNORUM RATIONE.

A. QUOD ad primam *Hydrocephali acuti* partem, haud dubitari potest, quin ejus indicia ad cerebrum inflammatum certe concitatum, sint referenda. *Oculi irritabiles, nec lucis patientes, aures sonantes, dolor capitis, vultus rubrior, febricula, motusque arteriarum, duriores et citiores, &c.* aliorum relegari plane nequeunt. *Vomitus* miro consensu qui cerebrum cum ventriculo sociat, enascitur. *Nares pruriunt, ægerque dentibus frendet,* eo quod intestinum torpens duro et corrupto stercore, nec raro ipsis vermibus inclusis, exasperatur; nemo autem medicorum ignorat, quantum omnes meatus alimenti partes inter se consentiant.

B. *Stupor, pupillæ, luce illata immotæ et patientes, mens imagine duplici cujusve rei visæ lusa, id est, strabismus, pulsus arteriarum tardiores, spiritus gravior,* eo ut subinde æger stertat, præcipuæ notæ partis secundæ morbi, de quo agimus, cerebrum oppressum testantur. Nec

eas aliunde orire hinc patet ; quod *Apoplexia* ipsa, (cujus mali notæ prædictæ sunt indices habendæ,) cerebro humano belluinoque quoque modo presso, statim accedit ; expedito protinus evanescit. Si quis autem interrogat, unde cerebrum hic opprimatur, respondeo laticem intus secretum causam esse gravantem, et inflammationem prægressam efficere ut idem secernatur. Quinetiam vasa cerebri turgentia, et aliquando tubercula, operæ aliquantum ad cerebrum hic opprimendum, collocare videntur.

C. Signa partis tertiæ memoratu dignissima pessima sunt, facile vel expertum rei medicinæ territura ; nempe, *stupor altus, videndi, audiendi, gustandi, loquendi, vorandique facultas* imminuta vel deleta ; *unum latus corporis convulsum, alterum resolutum* ; motus arteriarum citissimi, &c. Usu docemur hæc signa omnia e cerebro vehementer compresso exoriri ; quod sane ipsa *Apoplexia* clare illustrat. Sæpe enim, quem prius indicia hujus morbi solita plexuerint, ei accessio nova diras notas jam propositas infert ; mortuique patefacto cadavere, cerebrum compres-

sionem quæsitissimam subiisse conspicitur. Judicare igitur licet, uti cerebrum aliquanto laticis intus secreto leviter pressum secundam *Hydrocephali acuti* partem continet; ita hoc viscus lactice increcente multo magis oppressum, tertiæ ejusdem morbi partis notas progignere. Res est notissima, quantulumcunque pateat ejus ratio, cerebrum arteriarum motum insigniter pressum celerare, levius autem tardare. Denique, audiendi, loquendi, vorandi, stercus et urinam retinendi facultas deleta, unum latus convulsum, alterum solutum, &c. non nisi cerebro quam maxime presso nascuntur; eo quod *tuber annulare* et *medulla oblongata* plurimum nervorum *chordæque spinalis* fontes tunc opprimuntur; causa autem comprimente leviori, illæsa perstant.

DE DIAGNOSI.

PERMAGNI interest *Hydrocephalum acutum* ab aliis morbis quadam similitudine cum eo sociatis dignoscere posse. Eundem vero quodammodo simulant *Verminatio*, *Febris infantum*

remittens, Scrofula mesenterica, et Dentitio.
 Quomodo ab horum singulis discernatur, paucis
 ostendere nitar.

De Verminatione et Hydrocephalo invicem discernendis. — Verminationem ab *Hydrocephalo acuto* clare dignoscere eo difficile est, quod utriusque fere commune est impuberes, struma inquinatos et imbecillos aggredi; quod insuper cerebrum et alimenti meatus perinsigni consensu inter se, ministrante genere nervoso, connectuntur. Multa sane indicia hujus cum illa communia sunt, nimirum nares prurientes, dentium stridor, artus convulsi, febricula, anima foetens, *strabismus*, *pupillæ* luce illata patentés, venter durus et tumidus, &c. Rei tamen medicæ perito; hisce observatis, dijudicare licebit,

a. Ineunte *Hydrocephalo*, oculi irritabiles lucisque non patientes, aliæque cerebri inflammati, vel concitati, notæ nunquam non accedunt; quæ mala *Verminatio* haud unquam gignit.

b. Illo ægrotantibus, artus non nisi morte jam propinqua convelluntur, notæque simul cerebri

admodum gravati cum hoc signo sociantur; hac vero implicatis, ab initio ad finem usque, convulsio membra exagitare potest; at levior et citra istas notas.

c. Ille facit, ut arteriæ principio crebrius et durius quam fert natura, dein tardius et inæqualiter, postremo creberrime, saliant; hæc autem ut sanitati convenienter moveantur, certe non multum turbentur.

d. Illo, plexus cibos pene continenter, nisi ad finem male appetit, et sumptos evomit; hac correptus, cibi modo voracior, alias fastidiosus est, at raro vomitu torquetur.

e. Denique, cui vermes intestinum occupant, ei alvus modo fusa, modo tardior, non autem pertinax est, atque dejectiones pituita viscida refertæ; at vero *hydrocephalico* alvus perquam coacta, vix medicamentis sollicitatur, subatrum aut viride et quasi oleosum excretura.

De Febre Infantum Remittente, et Hydrocephalo Acuto Invicem Dignoscendis. —
Quamvis Febris infantum Remittens notas ad-

modum acutas sibi præfert, dolore tamen isto capitis continente, et crudelissimo, circa frontem, occiput, latus aut verticem, *Hydrocephali acuti* proprio, vel prorsus vacat, vel certe leniorem, nec assiduum exhibet. Huc accedit eam febrem abnormem esse, neque diutinam; nec signis dirioribus *Hydrocephali* confirmati stipari.

Quod ad *Scrofulam Mesentericam* eidem cum *Hydrocephalo acuto* commune est fere infantes, strumaque imbutos aggredi. Illa autem, uti de ejus notis propriis satis conspicuis sileatur, signis inflammati cerebri caret.

Jam *Dentientes* interdum in *Hydrocephalum acutum* incidunt. Quod si infanti, cui dentes nondum gingivas transgressi sint, artus convelluntur citra stuporem, aliaque pressi cerebri indicia; et febricula simul urget, dentes esse unicam malorum causam genitricem, constat; eoque clarius hoc patet, si sectis gingivis alvoque expurgatæ cedant. Quinetiam, *Dentitio* caret sig-

nis *Hydrocephali* notabilioribus, jam toties enarratis.

Siquidem *hydrocephalici* subinde prima parte morbi nondum finita obsurdescunt, medicum cavere decet, ne ista surditate pro stupore habita, laticem jam intus profusum perperam judicaret.

DE PROGNOSI.

EVENTUS morborum futuros præagire posse permagni medicorum interest; haud sane, quod iisdem cognitis, sanitatem reducendi, aut fatum præcavendi illico patentes fiunt; sed quod vel peritissimi, nisi recte augurentur, ignari et inscientes esse existimantur.

Vix aut ne vix quidem errabit medicus, hoc dirum malum semper metum, perraro aliquid spei secum affere professus. Usu docemur, ex mille ægrotantibus vix unicum ad salutem reduci. MONRO secundus, vir equidem summæ fidei con-

tendit, nulli *hydrocephalico* non esse pereundum.

Uti igitur paucis absolvam, manifestum est, non sperandum, nisi inflammatione cerebri, id est, prima hujus morbi parte nondum finita. Fieri enim potest ut, ægro rite depleto et sedato, ista inflammatio devincatur; quod si hæc jam effecerit ut cerebri atria secreto latice tumeant, infelicem in præcipiti versari patet. Si vero præter notas cerebri insigniter pressi, vires solvantur, cutis gelido humet sudore, artus tremunt et frigent, trunci sustinendi impotentes, mortem in propinquo esse judicandum.

DE MEDENDI RATIONE.

Siquidem omnes notæ hujus mali ineuntis cerebri inflammationem subesse arguunt, quæ pede præcipiti in laticem intus fusum abit, acriter et statim agendum esse constat. Hæcce vero consilia curationem totam amplectuntur; id est,

A. Oportet quam primum inflammationem vincere.

B. Si id minus liceat, dein efficere ut humor exhalatus resorbeatur.

C. Signa molesta simul consopire.

A. Iis quæ vacuefaciant et sedent utendum ; illuc spectant sanguinis detractio, alvique purgantia et exulcerantia adhibita ; huc vero *Digitalis purpurea* ea quæ refrigerent, aliaque ejusmodi. De horum singulis pauca disseram.

De Sanguine mittendo.—Ætas iniens, corpus struma imbutum, et ipsius morbi natura venam brachii secari, largamve sanguinis molem ullo modo detrahi, non sinunt. Satius est vasa capitis deplere, cucurbitulis cruentis impositis, vel arteria *temporali* incisa. Persæpe hirudines minus tuto admoventur, eo quod sanguinis cursus ægerrime reprimitur : hoc infantibus haud raro contingere usu didici. Quamvis ars medica præceptis perpetuis fere vacat, nosse tamen juvat

ni æger annum jam ætatis VII^{mum} expleverit, brachii venam non icendam; si cui vero eam ætatem transgresso notæ inflammationis sæviant, ei uncias sanguinis VIII ad X recte, vena brachii icta, educi. Meminisse simul juvat infantibus implicatis, tutius et utilius esse, alvum vel acriter purgare, quam venas exinanire.

De Alvi Purgantibus.—Venis jam probe vacuefactis, alvum sollicitare oportebit, idque mature; scire enim licet, *verminatio* an malum propositum urgeat (quod principio sane dubium esse potest,) medicaminæ dejectioni moliendæ accommodata multum adjutura.

Illud quoque meminisse juvat, intestinum eo torpere, ut modis eorundem amplioribus opus sit. E submur. hydrarg. incipiendum; cujus grana VI, VIII, ampliusve danda; dein rite accedit quivis mediorum salium. Alvus simul duci debet, idoneo liquore injecto.

Hæcce remedia duplici ratione opitulantur; nimirum, sanguine deorsum a capite vertendo; necnon mole humorem circumeuntium minuenda.

DE EXULCERANTIBUS.—Siquidem cutis de repente ex *Tinea Capitis*, *Scarlatina*, *Variola*, &c. deflorescens, in hunc morbum desiit, hinc nonnulli, inter quos præpollet RUTHERFORDIUS, contendunt *emplastrum lyttæ* summo capiti impositum profuturum; eo quod summa cute exinde rubefacta et exulcerata, sanguis huc derivatur, et inde cerebri inflammatio sedatur; quos perperam judicasse opinor; usu enim doctus, perhibeo partem exulceratam persæpe in gangrænam ruere malo corporis habitu eo operam conferente; alias, id est, ægrotante irritabiliore *emplastrum*, relatum febrem et inflammationem, facis instar, exasperare. Longe præstat, ni fallor, caput ad cutem tondere, et dein aqua aceto mista, frigida lavare. Inter sedantia *folia Digitalis purpureæ* summi æstimantur. Si conceduntur, satis erit, quotidie guttas v semel aut bis ingerere. Ad refrigerandum, præter jam dicta, *æther sulphuricus* capiti instillatus multum valet; quippe qui celerrime in sublime fertur.

Quinetiam inflammatione jam præsentē, caput erigendum; subducenda omnia quæ cervicem opprimant; corpus stragulis levissimis operien-

dum ; conclave, ubi æger habitat perflatum accipere debet. Fugienda quæcunque cor, arterias genusque nervosum irritent ; veluti æstus, sonus, lux intentior. Potui aptissima est aqua succis acidulis plantarum imbuta ; cibus præstat, concoctu facilis, parcior, et potissimum e frugibus.

B. Quo humor exhalatus resorbeatur, (si, eheu ! auxilia jam memorata isti eventui obniti non potuerint,) iis insistendum remediis quæ vasa *lymphatica* cieant ; necnon, quæ, humoribus aliorum a capite derigendis, caveant ne plus laticis jam secreto adjiciatur. Illa sunt præparata ex hydrargyro, atque vis *electrica* aut *galvanica* ; hæc autem, alvi, urinæ, sudorisque moventia, *exulcerantia* et sternutamenta. De quorum singulis dicendum.

DE HYDRARGYRO.—Simul atque inflammatio in laticem secretum abierit, prætermisissis remediis ei debellandæ habilibus, protinus hydrargyro sic utendum, ut humores circumeuntes petat, osque saliva impleat ; nullum sane auxilii genus vasa *lymphatica* concitandi potentius est.

Hydrocephalicis autem tarde et ægri resorbetur; quibus nempe vasa *lymphatica* insigniter torpent, huc conferentibus morbi natura ætate tenera, et corpore struma inquinato. Quod ad ministrandi rationem, summa cutis *unguento hydrargyri* oblinenda; ingestis simul *pilulis hydrargyri*, aut modis exiguis *submuriatis hydrargyri*. At vero lugemus, hoc potens remedium fere semper inutile confessi. Inter hæc alvus simul purgari debet, *submuriate hydrargyri* aliisque eum in finem aptis, ita ut supra memini, datis.

Quidam vasa *lymphatica* capitis aura electrica et vi galvanica stimularunt; tuto et utiliter an secus, anceps hæreo.

EX URINÆ MOVENTIBUS, *supertartras potassæ*, *Scilla maritima* et *spiritus Juniperi communis dilutior*, &c. interdum profuere, humoribus scilicet a capite derivandis, ideoque exhalatione laticis auctiori præcavenda. Pari, ut existimo, ratione juvare possunt *exulcerantia*, atque *sudoris moventia*; nempe *tepedarium*, *aqua acetatis ammoniæ* et præparata ex antimonio.

Sternutamenta, veluti pulvis foliorum *Asari Europæi*, et *subsulphas hydrargyri flavus*, a quibusdam laudantur; quippe quæ humores a cerebro ad nares dirigunt, illiusque vasa absorbentia, si quæ sint, incitant; me iudice, parvi sunt facienda.

C. Si vomitus gravior perquam cruciet, consopendus erit *citrate potassæ* vel *sodæ* inter spumandum epoto. Interdum *opii* paucillum jure accedit. Si inflammatione et febre jam præsentibus æger plurimum calet, et inquietus se jactat, summam cutem spongia aceto dilutiori saturamadefacere sæpe perquam opitulatur. Cætera ad (C.) retinentia, jam satis exposita sunt.

QUÆDAM DE HYDROCEPHALO CHRONICO.

HYDROCEPHALUM chronicum CULLENUS ad classem CACHEXIÆ, ordinemque INTUMESCENTIÆ, retulit. Sic definiiri potest: "Caput valde ampliatum, calvaria fere æquo mollior, hiantesque suturæ, ob laticis plurimum intus secretum." Hoc malum Acuto jam dicto prorsus alienum esse,

hinc constat ; quod sæpe plures menses annosve traxit ; quod iniens inflammationis notis vacat ; porro, quod caput eo implicatis semper intumescit.

DE SIGNIS.—Interdum hic morbus cum homine nascitur. Caput admodum tumet, frons prominet ; ossa calvariæ fere molliora sunt ; quod tamen perpetuum non est. Sensus hebetantur eo profecto ut interdum æger non intelligat, videat, audiat, olfaciet, gustet, aut aliquid recte percipiat. Pupillæ fere immotæ patent. Artus marcent ; non raro loquendi et vorandi facultas labitur. Persæpe *hemiplegia*, aliquando *paraplegia*, accedit ; motus arteriarum imbecilli sunt, modo tardi, modo citiores. Vomitus crebro exercet ; alvus sæpe pigerrima est ; alias animi injussu fluit, urina simul citra mentis imperium stillante. *Hydrorachitis* frequenter cum hoc morbo sociatur.

Cadavere secto, plures laticis libræ cerebri membranas et atria distendere reperiuntur, ipsumque vesicæ quasi speciem sibi præfert. Huc

accedunt tubercula *strumosa*, et *glandula pituitaria* sæpe durata.

Quod ad *causas abditas*, eædem sunt quæ ad *Hydrocephalum acutum* pertinent. *Causas excitantes* medici ignorant.

Ratio Signorum, patebit ex iis, quæ huc attentionia de parte secunda et tertia *Hydrocephali acuti* scripsimus.

Quod ad *Prognosin*, omnia metum, nulla spem indicant.

DE CURATIONE.—Usus jamdudum edocuit, omnibus hoc morbo terribili laborantibus serius, ocyus pereundum esse; oportet tamen medicus tantum non desperet, at mature et sedulo iis remediis nitatur, quæ humorem secretum resorberi faciant. Hæc vero jam satis exposui (vide consilium secundum B, apud paginam XXVI^{tam}). Præter hæc, quidam vomitus medicamentis moveri jusserunt; quippe qui, corpore concutiendo, secernenda et excernenda secerni et excerni facit, et vasa resorbentia ciet; et inde *hydropicis* crebro opitulatur. Quibus assentiri nequeo; non

solum enim hæc remedia torpori istorum vasorum subducendo inepta videntur; verum etiam, sanguine ad cerebrum impellendo, nocentissima esse possunt. Ne multa, omnia fere hujus visceris mala vomitu excitato exasperantur. Nonnulli contenderunt cerebri atria, latice plane distenta, ope scapelli exinaniri oportere; id quod nemini prudenti experiendum opinor; “ne occidisse, nisi servasset, videretur.”

Denique, victus debet esse concoctu facilis, satisque aliturus. Quotidie, pro viribus, ambulandum, curruve utendum, citra fatigationem; rus adeundum; opus est alvo indies leniter soluta victu aut medicamentis id molientibus. Frigidarium proderit, eoque potius si aqua *muriate sodæ* imbuitur. Ea quæ *Tonica* vocantur, aliquid opis pollicentur; qualia sunt *urias calcis*, *urias barytæ*, et e ferro præparata.

Quæ huic opusculo desunt, suppleat ætas.

QUINCTIL.

FINIS.

causam enim hanc remedia corpori istorum vasa-
rum adhibendo iniqua videntur; verum etiam
sanguiferam cerebrum impellendo, nocentissimum
esse possunt. Deinde, omnia hęc hujus visceris
mala votata exalto exasperantur. Nonnulli
contendunt, cerebrum istis, satio plane distenta,
operari posse, etiam in operibus; id quod verum

prudenti experientiam opinor; sed ne occidat,
unde certum videntur, nonnulli de hoc

TENTAMEN MEDICUM

Deinde, viciis debet esse contentum, inquit, et
tunc aliturus. **DIAGNOSIS**, viciis stabili-
bus, curantur, etiam in ista investigatione; tunc
adhibenda; si opus est, et in istis locis soluta

NEURALGIA

viciis aut medicamentis, in motu istis. **TRIGI-**
tibus, etiam in istis locis, viciis

etiam in istis locis, viciis

etiam in istis locis, viciis

etiam in istis locis, viciis